

reerat. Nam die 2, 12 Nouemb. anno 1594. Saturnus visus est exacte inter cernicem & cor Leonis, vbi esse debebat secundum calculum die 21. 31. Octobris præterita. Differentia long. 37. scr. plus minus. Quod si hanc quantitatem non excedat eius à Copernico discordia προσθαπουγέσεως, correctâ modò distantiâ : existimant Astronomi sibi abundè satisfactum.

In Iouenihili iure desiderari potest. Nam exiguum habet differentiam, atque minorem sextante gradus.

Quòd autem etiam in Marte semissis gradus abundat, nihil mirum, nec me mouet: mouet id potius, maiorem non esse diuersitatem. Testatur enim in præfatione Ephemeridis ad annum 1577. Mæstlinus: sideris huius errores à calculo intra duorum graduum angustias cogi non posse.

Iam ad inferiores ♀ & ♀ quod attinet, etsi præ superioribus non nihil commoditatis habere videntur: propterea quòd ex elongatione maxima faciliùs est, quam ex ἀκρονυχίᾳ obseruatione, ipsorum orbes dimetiri, ipsa tamen obseruandi via mihi suspecta est. Quamuis rectius Astronomis hoc æstimandum relinquo: nempe utrum non in his planetis vaporum densitate & physica parallaxi, quam nec Sol nec Luna effugit, interdum fallantur. Certè Mæstlinus in Disputatione de Eclipsibus, thesi 58. de Venere affirmat, quòd non rarò visa fuerit eius à Sole prope horizontem distantia notabiliter minor verâ. Quantò magis id de Mercurio dici poterit, qui ferè semper sub solis radijs est; & quamuis interdum emergat: nunquam tamen, nisi prope horizontem per interiectam exhalationum copiam nostro se visui præsentat. Et quamuis Veneri opitulentur fixæ, simul & propè apparentes: Mercurius tamen frequenter in culpa manet, qui ipse rarò cernitur, & rariùs fixæ prope ipsum. Cumque hæc hodie accident: credibile est & veteribus quantiscunque Artificibus accidere potuisse. Nam quòd Lectorem de eo non monent, id ipsum suspicionem de horum Planetaryum dimensionibus vitiosis auget. Hoc enim indicio est; nec animaduersum ipsis nec correctum esse, si quid ex eo vitij extitit. Quare in lectione veterum imprimis spectandum esse puto, utrū singularium obseruationum, quæ allegantur, instrumenta & modi huic errori obnoxij esse potuerint.

Deinde